Von Gebauer

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

# TUBERCULIS CEREBRI.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

# TUBERCULIS CEREBRI.

# SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

# TUBERCULIS CEREBRI,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

***In Academiâ Lugduno-Batavâ***

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

LUDOVICUS CHRISTIANUS ALBERTUS VON GEBAUER,

CHIRURGUS MIL. SECUND. ORD.

ROTERODAMENSIS.

AD DIEM XXVIII JUNII MDCCCXXXVIII, HORA XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS

ET

FAUTORIBUS

*SACRUM.*

# INTRODUCTIO.

Si varias productiones morbosas, quae per heteroplasiam, sic dictam, in corpore humano formantur, investigamus, easque inter se comparamus, materies tuberculosa certo certius omnium frequentissimam se nobis obfert.

Materies haecce tuberculosa vulgo apparet sub forma corpusculorum rotundorum, quae hodie, prae aliis, tuberculorum nomine insigniuntur, formata ex materie adiaphana, plus minusve solida, coloris albi-flavescentis.

Horum tuberculorum prima origo perquam obscura est. Initio (ut omnis materies animalis) fluida,

mox in parvos tumores mutantur, qui e substantia alba, uniformi, caseo recenti haud dissimili constant, vasis, nervis vel fibris quibuscunque destituti, quique tumores citius vel tardius emolliuntur et liquescunt, vel etiam, in nonnullis casibus, in materiem *calcaream* abeunt (1).

Non modo in hominum sed in animalium quoque corporibus hancce substantiam tuberculosam invenerunt, et quidem, ut nonnulli volunt, frequentius in herbivoris, quam in carnivoris observata est. Praesertim autem reperitur in animalibus mansuefactis, et quidem peculiariter in avibus, quae captivae retinentur (2).

A multis Pathologis clari nominis horum tuberculorum sedes peculiaris habetur tela cellulosa (3); haec autem quandoquidem omnium organorum compaginem intrat, in singulis quoque corporis partibus, materiem illam tuberculosam produci posse,

---

(1) A. A. SEBASTIAN, de origine, incremento et exitu phthisis pulmonum, in het Tijdschrift voor de Natuurlijke Geschiedenis en Physiologie, II Deel, 3 st. p. 170.

(2) G. ANDRAL, Précis d'Anatomic pathologique. Paris 1829. Tom. I. p. 429.

(3) G. ANDRAL, Précis d'Anatomic pathologique. Paris 1829. Tom. I. p. 418.

sponte apparet. Haec productio tuberculosa magnam cum morbo scrofuloso habet affinitatem, atque saepius horum morborum unus alterum comitatur. Sunt tamen Medici, qui se tubercula observasse perhibent, ubi morbi scrofulosi non aderant symptomata, cujus rei contrarium sine dubio haud raro occurrit (1).

Si autem revera morbus scrofulosus in vasis lymphaticis eorumque glandulis haeret, et tubercula inveniuntur in organis, quae utrisque carent (2), nonne tunc ambas has affectiones morbosas natura distinctas habere cogimur? Quod si verum est, exinde patet, quos HUBERTUS (3), REILIUS (4), BAUMESIUS (5) aliique observarunt tumores cerebri scrofulosos, male ita vocatos, atque majori jure, tuberculorum nomine significandos esse.

Tuberculorum symptomata, ubi semel in oeconomia animali sese evolverint, dirissima saepe sunt. Hoc, inprimis postremo seculo, Medicorum atten-

---

(1) Dictionnaire des sciences médicales, Tome LVI art. Tubercules.

(2) BÉCLARD, Anatomie générale, pag. 348 et 662.

(3) HUBERT, Observationes anatomicae, p. 17.

(4) Memorabil. clinic. Fasc. III. p. 39.

(5) Journal de médecine, 1791 Juin.

tionem sibi vindicavit, ita ut multi unice fere in investigationem hujus phaenomeni morbosi incubuerint. Illorum indefessis cadaverum investigationibus satis, qua gaudemus, accuratam debemus cognitionem tuberculorum orginis, stadiorum quae percurrunt, nec non locorum quos occupant.

Accuratissime autem indagata sunt in iis organis, in quibus toties cernuntur, pulmones volo, organa haecce tenerrima, perpetuae sanguinis elaborationi destinata, quae ex omnibus organis, sine dubio, plurimum morbis afficiuntur, et frequentissime tuberculis laborant. Imo rarissime tubercula in aliis visceribus observantur, quin pulmonibus quoque inhaereant. Tubercula in pulmonibus producta, quae tandem liquescere incipiunt, hanc morbi speciem sistunt, quae hodie vulgo sub nomine phthiseos tuberculosae cognoscitur, et quae adeo frequens occurrit, ut, in quibusdam locis, quartam hominum partem eâ occumbere videamus.

Rarius autem tubercula in aliis organis occurrunt, at rarissime, in adultis saltem, in cerebro (1). Hoc

---

(1) J. CRUVEILHIER, Anatomie pathologique du corps humain. Tom. 1. Livraison 18.

probat exiguus, si cum aliorum organorum affectionibus tuberculosis comparetur, cerebri tuberculorum observationum numerus (1).

Operae pretium igitur omnino mihi videbatur, casum commemorare tuberculorum in cerebro et cerebello detectorum, quem in Nosocomio Militari hujus urbis observavi, cumque mihi Dissertationis Inauguralis argumentum eligere.

---

Ipsam Dissertationem in tria sejungam capita; primum, quo agitur de tuberculis cerebri in genere, de eorum scil. diagnosi, prognosi et cura; se-

---

(1) Cl. LOUIS in 350 cadaveribus tuberculis affectis, unum solummodo tuberculis cerebri affectum invenit. (conferantur G. ANDRAL, Précis d'Anatomie pathologique. Par. 1829. Tom. I. p. 422.) Cl. LALLEMAND, in opere suo egregio et observationum ditissimo, nullum hujus morbi casum refert, (Récherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale et ses dépendances) atque Cl. ABERCROMBIE, ante paucos annos, operae pretium duxit, publice commemorare casum hujus morbi, qui cum illo, quem observavimus, quamdam habet convenientiam. Archives générales de la Médecine. Décembre 1824.

cundum, quo ea continentur, quae et in ipso aegrotante, et in ejus cadavere observavi; tertium denique, quod annotationes quasdam exhibet, ad hunc quem observavi morbi casum pertinentes.

# CAPUT PRIMUM.

## DE TUBERCULIS CEREBRI IN GENERE.

### § 1.

Tubercula cerebri in genere cum aliorum organorum tuberculis conveniunt (1). (MURDOCH dicit ea firmiora esse reliquis, et coloris viridiscentis, quod etiam mea observatione probatur). Haud minus in substantia medullari, quam corticali cerebri inveniuntur, quamvis, secundum BRESCHET (2), saepius in hac, quam in illa. Utrumque et cerebrum

(1) J. MULLER, Archiv für Anatomie, Physiologie, und Wissenschaftliche Medicin. 1834. Heft 2. p. 185.

(2) J. H. LÉVEILLÉ, Recherches sur les tubercules du cerveau Par. 1824. p. 7.

et cerebellum occupant, perhibet tamen CRUVEILHIER (1) ea saepius in cerebello obviam venire. GENDRIN (2) ea singula cystide inclusa esse credit. Est autem haec membrana saepe adeo tenuis, ut, accuratissimo quidem observatori, summa opus sit diligentia, ad eam detegendam. Interdum incrassatur, fit fibrosa, imo nonnunquam cartilaginea, et vel pro parte ossea visa est.

Tubercula cerebri eadem fere, quae aliorum organorum tubercula, stadia percurrere possunt. Plerumque tamen in cruditatis stadio inveniuntur; raro emollita, nec unquam in iis veram suppurationem observavit CRASWELL (3). Semper cum simili affectione aliorum organorum conjuncta esse videntur.

Nunquam tubercula ex ipsa cerebri substantia formantur, sed inter ejus fibras evolvuntur, quas distendunt, ita ut saepius substantia cerebri, quae ea circumdat, sana et immutata reperiatur. Nonnunquam ipsum cerebrum mollius est, pluries au-

(1) l. c.

(2) A. N. GENDRIN, Recherches sur les tubercules du cerveau. Par. 1823. p. 4.

(3) J. MULLERS Archiv. l. c.

tem firmius, quam in statu sano. Tubercula fere semper aucta in cerebri ventriculis comitatur seri quantitas. Tuberculorum magnitudo valdopere differt, inde a grani miliaris, usque ad ovi gallinacei volumen. In adultis inprimis majora sed pauciora reperiuntur, quam in pueris. In illis quoque vulgo solitaria sunt, in his autem, ut plurimum, coacervata (1).

Aetas puerilis quoque plura tuberculorum cerebri exempla offert, quam adulta, et rarissime in senibus observata sunt.

## § 2.

Quandoquidem tuberculorum cerebri *Aetiologia* eadem est, quae tuberculorum aliarum partium, eam (quippe quae magis ad historiam tuberculorum in genere pertinet) silentio praeteribimus, potiusque de morbi Diagnosi agemus.

---

(1) De Industria solummodo de tuberculis solitariis loquor, quum aliae materiei tuberculosae depositionis formae, quas memorat MURDOCH, magis membranas cerebri afficiunt, vel saltem rarissime in substantia ipsa cerebri cernuntur. Conferatur MULLER's Archiv. l. c. p. 184.

Ut multi alii morbi, hic quoque morbus probat rectam *diagnosin* unam omnium difficilimam esse Medicinae partem. Nec latet hujus rei causa, si nobiscum reputemus, quam raro hicce morbus occurrat, ita ut procul dubio plures dentur Medici, qui numquam eum observaverint. Propria igitur experientia semper fere deficit, ita ut in aliorum observationibus, numero perquam exiguis, nec debita cura saepe exaratis, nobis sit acquiescendum. Plurimum huc confert symptomatum pathognomonicorum desiderium, haud minus quam discrimen et inconstantia symptomatum in variis aegrotantibus, eorumque convenientia saepe cum iis aliorum morborum naturâ longe diversorum.

Difficultatem diagnoseos tuberculorum cerebri auget etiam ipsa conformatio cranii, quo tanquam theca ossea includuntur. Si nempe hancce cavitatem cum duabus reliquis, viscera majora corporis humani continentibus, comparamus, videmus has ita conformatas esse, ut multos morbos viscerum, quae iis includuntur, satis accurate cognoscere possimus. Ad morbos pectoris cavitatis cognoscendos, optime conducit mediata vel immediata auscultatio et percussio; dum in morbis abdominis palpatio saepe

multum lucis adfert. Hactenus his vel similibus auxiliis ad organa, quae cerebri cavo continentur, investiganda caremus, nisi huc referre velis, tubi Laennecciani applicationem ad cavi tympani, sinuumque narium et frontis explorationem (1). Unicum igitur, quod nobis superest auxilium, ut ad tuberculorum cerebri cognitionem, quatenus hoc fieri potest, perveniamus, versatur in consideratione symptomatum, quae in Auctorum observationibus memorantur, et, licet haec in variis aegrotantibus valde differant, videtur tamen dolor continuus, vel etiam intermittens, in occipite, qui se usque ad musculos cervicis extendit, ad symptomata maxime constantia pertinere, plurimumque observatus esse (2).

Hicce dolor nullis remediis compescendus, saepe unicum symptoma est, ita ut aegrotans caeteroquin bene valere videatur (3). Durante intermissione, si haec aliquando adest, aeger negotiis suis solitis vacat.

---

(1) R. T. H. LAENNEC, Traité de l'auscultation médiate et des maladies des poumons et du coeur. Bruxelles 1834. p. 57.

(2) CASPER's Wochenschrift 1836 p. 817.

(3) Archives générales de médicine, Décembre 1834. CRUVEILHIER, Anat. pathol. du corps humain. Livr. 18. J. B. LEVEILLÉ l. c. p. 38.

Serius autem dolor capitis cum majori vehementia apparet, saepius que non, nisi una cum vita, disparet.

Ad symptomata minus constantia pertinent: vomitus, strabismus, diplopia, amaurosis, surditas, vertigines, leipothymiae, convulsiones, paralyses, epilepsia, amentia, sensibilitas aucta, mania, caet. In multis aegrotantibus hydropis cerebri symptomata observarunt, atque curam adversus hunc morbum instituerunt. Revera in omnibus cadaveribus, in quibus cerebri tubercula aderant, auctam seri quantitatem in cerebri ventriculis invenerunt, quod saepius tantâ copiâ aderat, ut morbus facile non nisi hydrops cerebri haberi potuerit. Quod in morbo, de quo agitur, serum semper tanta copia in ventriculis adest, in causa fuit, cur GIRAUD (1) hydropem cerebri saepissime tuberculorum sequelam esse crediderit.

Symptomatum diversitas ex tuberculorum in cerebri sede, atque ex eorum volumine, numero, evolutionisque periodo, suam habet interpretationem.

---

(1) GIRAUD, Thèse sur l'Hydropisie aigue et primitive des ventricules du cerveau. Paris 1818.

Quod eorum sedem attinet, sequentes exstant opiniones, quae tamen aliis observationibus, ut magis confirmentur, omnino indigent.

Volunt scilicet nonnulli, ut, quando tubercula in anterioribus cerebri lobis haerent, symptomata provocent delirii, initio haud manifesti, irregulariter intermittentis, quod tandem in amentiam absolutam abit.

Tubercula pedunculorum cerebri insultus epilepticos, ut volunt, provocant, qui mox in hac illave extremitate inferiori oriuntur, et deinde se per totum illud corporis latus, cujus pedunculus affectus est, extendunt. Diu hi insultus in uno corporis latere subsistunt, serius autem generales fiunt, dum semper in parte primo affecta incipiunt.

Quando tubercula medullam oblongatam occupant, cognoscuntur motibus convulsivis, qui in musculis faciei et inprimis oris incipiunt, dein in generalem totius corporis epilepsiam transeunt.

Ubi pons Varolii tuberculorum sedes est, observantur insultus epileptici typi regulariter intermittentis, qui cum singultu, spasmo pharyngis, dysphagia, atque sensu constrictionis, boli adscendentis, ut in hystericis, incipiunt.

Quando tubercula, quae in pedunculis cerebri resident, permagna evadunt, et liquescere incipiunt, facultates mentis quam maxime turbant, et absolutae dementiae demum ansam praebent. Idem, si in medulla oblongata obtinet, paralysin provocat.

Erectiones penis et sensibilitas aucta inprimis tribuitur tuberculorum in cerebello praesentiae, quod autem nostra observatione non probatur.

Licet haec omnia ulteriori indigeant confirmatione, tuto tamen assumere possumus, symptomata valde diversa esse debere, prouti tubercula hanc illamve cerebri partem occupent.

Quamdiu autem accuratiori caremus singularum cerebri partium functionum cognitione, tamdiu etiam hujus morbi ulteriori symptomatum carebimus explicatione, nec quidquam a priori de ipsa tuberculorum sede praedicere poterimus. Sperandum tamen, fore ut Anatomia comparata, Anatomia pathologica, et experimenta in vivis animalibus capta, quibus jam de organorum functionibus tot nobis innotuerunt, nos magis magisque de functionibus variarum cerebri partium certiores faciant; quae variae partes tantopere in variis aegris conveniunt, ut hoc, sponte quasi, Anatomicorum attentionem

sibi vindicaverit. In singulis gyris, in singulis diverticulis, summa cernitur convenientia, atque veterum sententia, ut, scilicet, de organi cujusdam momenti conjicerent, prouti minus variis formis, quatenus hoc scil. integra functione observatum est, ludere videretur, summo jure ad cerebrum extendi valet. Si igitur assumimus, quamque cerebri partem sibi privam habere functionem, exinde summam inconstantiam et varietatem symptomatum, quae in iis, qui cerebri tuberculis laborant, observantur, explicare valemus; nam ut raro evenit, duo tubercula, in duobus aegrotantibus, eundem in cerebro occupare locum, sic quoque raro symptomata, in duobus aegrotantibus, omni numero convenient; ne loquamur de differentiis, quod ad magnitudinem et numerum tuberculorum, quae, procul dubio, magnam vim in symptomata producenda exercent.

Accurata annotatio symptomatum, quae durante vita observantur, quam sequitur accurata investigatio partium affectarum in cadavere, una est, quae nos iis, quibus ad debitam cognitionem hujus morbi opus est, instruere potest. Verum est adesse exempla in quibus omnia desiderabantur symptoma-

ta, ita ut (mirabile dictu), in aegrotantibus affectionibus tuberculosis aliorum organorum, vel aliis morbis defunctis, tubercula sat magna observata sint, quorum durante vita nulla symptomata adfuerant (1).

In aliis visceribus tuberculorum praesentia, quin durante vita aliquo symptomate se manifestaverint, minus rara est.

Jam clarissimus BAYLE ea in pulmonibus, liene et hepate invenit, in cadaveribus hominum, qui morbis longe alius naturae decubuerant, quin ea, durante vita, suspicatus fuerit, et quisque, qui opportunitate cadaverum sectionum instituendarum fructus est, hoc, absque dubio, saepius expertus fuit. Illud certum est, tubercula per longum tempus in organis latere posse, quin se aliquo symptomate patefaciant, quod inprimis ab evolutione, vulgo lentissima, horum corpusculorum pendet; ita ut organa, in quibus resident, illorum praesentiae adsuefiant, eadem ratione, qua hoc in aliis corporibus alienis, quae in organismum penetrarunt, observamus. Parva quorumdam organorum sensibilitas etiam in causa esse potest, cur eorum praesen-

---

(1) LÉVEILLÉ, l. c. p. 30.

tia tamdiu feratur, dum tandem huc quoque confert, saltem in primo morbi stadio, telarum, quibus tubercula inhaerent integritas. Nonne videmus tubercula non ex ipsa cerebri substantia formari, hanc autem diutissime, prouti examine accuratissimo illud apparuit, sanam manere? Per longum igitur tempus adhuc difficile erit, cum aliqua saltem certitudine, tuberculorum in cerebro praesentiam dignoscere.

Si tamen se nobis obfert aegrotans, in quo unum vel plura eorum, quae supra memoravi, symptomatum observantur, morbum, de quo agimus, conjicere debemus; inprimis quando symptomata pertinacia sunt, nullis remediis sedantia, atque aegrotantis constitutio organica praedispositionem ad tuberculorum productionem indicat.

## § 3.

*Prognosis.* Quum ex antecentibus nobis apparuit, tuberculorum in cerebro diagnosin multis premi difficultatibus, morbi prognosin contra eo faciliorem esse videbimus.

Est haec, eheu! infausta semper, et quidem ma-

gis infausta, quam prognosis affectionum tuberculosarum aliorum viscerum. In pulmonibus e. g. duplici ratione, nisi permagnus sit tuberculorum numerus, faustus morbi exitus locum habere potest; scilicet quando tubercula, postquam liquefacta sint, et inflammationem, subsequentemque suppurationem in parenchymate pulmonali produxerint, in bronchias aperiuntur, et per hanc viam tussi eliminantur. Saepius enim in sputis, quae tali ratione ejiciuntur, materiem tuberculosam probe distinguere licet. Post horum tuberculorum liquefactorum eliminationem, cavitas exinde oborta, vulgo membranâ cartilagineâ investitur, quae cicatricis vice fungitur (1). Alter curationis modus locum habet, quando tubercula non dicta ratione evolvuntur, sed, absorptione, partibus eorum fluidis orbantur, exsiccantur quasi, et in massam cretaceam vel calcaream abeunt, atque tali ratione, sine ulla manifesta functionum laesione, in pulmonibus recondita manent (2). Ex his exoptatis morbi terminationibus, quae jam in pulmonibus tam raro occurrunt, pos-

---

(1) Laennec, l. c. p. 256.

(2) Andral, l. c. Tom. I. p. 416.

trema solummodo, in morbo, de quo hic agimus, sanationem producere potest. Tubercula cerebri enim, quando se semel evolverint, et liquefacta fuerint, etiam si nullam in cerebri substantiam vim nocivam exerceant, nullum omnino exitum ex conceptaculo cerebri invenire possunt; ita ut materies tuberculosa, in ipsius cranii cavum effusa, mortis repentinae in causa esset. Imo videntur ea jam prius lethalia esse, atque exinde cerebri tubercula, in postremo hoc stadio, tam raro observata esse. Est igitur indurationis exitus, unicus cujus spes superest; atque tali revera ratione, natura saepe morbum de quo agimus curare videtur (1).

## § 4.

*Cura.* Dolendum est Medicum in hoc morbo inanem spectatorem plerumque agere debere, atque hanc Medicinae partem, quae docet ea mala, quae curare non potest, mitigare, miserorumque aegrotantium dolores lenire, unicam esse, cujus hîc, quantumpote, datur applicationis locus. Cura igitur

(1) J. MULLER's Archiv. l. c. p. 185.

omnis huc spectet, ut tuberculorum in cerebro evolutio retardetur. Hunc in finem omnem congestionem sanguinis versus caput, praecavere conetur, quod inprimis fit congruâ aegrotantis positione, praesertim in lecto; caput frigori exponendo, dum contra omne frigus a reliquo corpore probe arceatur. Usum potuum spirituosorum interdicat; cutis et intestinorum actionem promoveat; aeger a negotiis quibuscunque, quae aut animum, aut mentem intendunt, se abstineat, et vitam agat quantumpote gratam et quietam. GENDRIN inprimis commendat setacea et fonticulos ad nucham vel ad alia capitis loca (1).

Si nihilominus suboriantur congestiones versus caput, hae sanguinis evacuationibus vel generalibus, vel topicis, epithematibus frigidis caet., oppugnentur; administrentur laxantia, et in genere ea adhibeatur curandi methodus, quae in inflammatione cerebri vel ejus membranarum commendari solet. Ad diathesin tuberculosam minuendam commendarunt regionum calidarum et excelsarum inhabitationem.

---

(1) J. ABERCROMBIE, Des maladies de l'encéphale et de la moëlle épinière, traduit de l'Anglais, par A. N. GENDRIN. Paris 1835. p. 262.

Videtur quoque nutrimenti animalis usus, praedispositionem ad tubercula praevertere, cui rei nec non, quod in athmosphaera degant, exhalationibus animalibus repleta, tubercula raro in lanionibus observata esse adscribitur (1).

Quod ad usum Jodii, Mercurii, Antimonii, Barytae, Carbonatis Potassae, Hyoscyami, Cicutae, Belladonnae, caet. videntur haec omnia plus nocuissse quam profuisse, summâ saltem cautelâ administranda esse. Oleum jecoris Aselli tamen, fortasse ob magnam ejus animalisationem, facilemque exinde assimilationem, me judice, commendari potest; idque eo magis, quum nulla ex proprietatibus nocivis eorum, quae supra memoravi medicamentorum, instructum sit.

---

(1) Roche et Sanson, Nouveaux élémens de Pathologie médico-chirurgicale. Bruxelles 1829. T. II. p. 304.

# CAPUT SECUNDUM.

## MORBI HISTORIA.

S..... W...... miles pedester duodecimae Divisionis, viginti quatuor annos natus, die vigesimo secundo Decembris anni 1836, in Nosocomium Militare, quod Leidae est, recipiebatur, propter tumorem ad antibrachium dextrum, prope palmam manus, qui sine dolore, inscio fere aegrotante, erat obortus.

Hicce juvenis, natus in *Gelriae* pago *Heerden*, antea mercenarius rusticus, in prima juventute adversa laborasse valetudine, et morbo rachitico affectum fuisse, mihi narravit. Constitutionis erat perquam lymphaticae, quod cognoscebatur cute candida, ca-

pillis flavis, oculis coeruleis, musculis laxis et parum evolutis; facies erat larga et, propter maxillae inferioris magnam evolutionem et valde proëminentia ossa jugalia, formam quadratam fere obferebat.

Accuratiori instituto examine, brachii tumor humorem quemdam continere videbatur; nulla aderat coloris cutis mutatio; nullum punctum suppurationis, ita ut congruum judicaretur illum lanceolâ aperire, quo facto, prodibat sat magna copia materiei spissae, tenacis, et vulnus fascia simplici obducebatur.

Caeterum aegrotans satis bene sese habebat; omnes functiones tam organicae, quam animales rite peragebantur.

Post aliquot dies constabat nullam vulneris sanationem locum habere, sed e contrario abscessus in ulcus mutari atonicum, superficiale, marginibus erosis, multum ichoris secernens, quod aegrotantis constitutioni lymphaticae erat adscribendum. Ut haec emendaretur et vitae actio paullulum incitaretur, sequens praescribebatur formula:

℞ Radic. Calam. aromat. unc. I.

Inf. l. a. c. s. q. aq. ad colat. unc. XII.

addc:

Tinct. acid. aromatic. dr. I.

Syr. cort. Aur. unc. I.

m. d.

S. omni bihorio vasculum.

dum ulcus ipsum cum decocto saturato corticis Salicis deligabatur. His accedebat diaeta nutriens, moderatusque vini rubri usus.

Die vigesimo Januarii anni 1837, similis abscessus cernebatur ad brachium dextrum, paullulum supra condylum externum, qui, sine ulla inflammatione apparente, ideoque sine ullo vel dolore, vel calore, subito obortus erat; aeque ut antecedens lanceolâ apertus, similem fundebat materiem et mox quoque in ulcus atonicum transibat.

Post aliquot dies tumor se manifestabat ad latus ulnare digiti indicis dextri, in quo fluctuatio observabatur, et qui, per canalem subcutaneum, cum ulcere primum oborto, antibrachii ejusdem lateris, commercium alebat. Hic quoque abscessus aperiebatur et ulceratio mox sequebatur.

Versus illud tempus, ut simul cum cachexiae emendatione, vires quoque, tanta puris secretione

debilitatae, sustentarentur, cortex Peruvianus sequente formula praescribebatur.

℞ Cortic. Peruvian. fusc. unc. I.
Coq. l. a. c. s. q. aq. ad. colat. unc. VIII.
adde:
Acid. Sulph. dilut. dr. I.
Syr. cort. Aur. unc. I.
m. d.
S. omni bihorio cochlearia duo.

Die decimo tertio mensis Februarii novus detegebatur abscessus cruris sinistri, paullulum infra suram, qui eodem, quo praecedente modo, erat obortus. Metu ne illum aperiendo denuo formaretur ulcus, resorptionem humoris contenti promovere tentabam. Tumorem ad hunc finem emplastro tegebam ex partibus aequalibus emplastri Hydrargyri et Cicutae, quod insuper fascia comprimente firmabatur.

Mox autem cogebamur aperire tumorem, qui se magis magisque extendebat, dum materies contenta se intra musculos viam factura credebatur, quo notabiles factae fuissent puris collectiones.

Materiei, quae quotidie effluebat, copia erat notabilis; materies ipsa minus limpida et sanguine paullulum mixta; fortasse ex eo quod diutius in ista ca vitate manserat.

. Mox detegebatur canalis, qui se ad malleolum externum extendebat, ibique alteram aperturam instituere jubebat, quae iterum in causa exulcerationis erat. Permagno illo operationum (parvarum licet) numero, aeger tanto metu cultri correptus erat, ut necessitas existeret, quotidie totum ejus corpus perquirendi, ut, si novi exstiterint, detegerentur abscessus; vel enim quod de industria eos silentio praeteriret, vel quod eorum indolentia faceret eos ab illo non observari, postea saepius fiebat, ut, licet nullam aegrotans eorum mentionem fecisset, novi, in variis corporis partibus, detegerentur abscessus. Ut jam hi abscessus cum minimo dolore aperirentur, simulque novae praecaverentur ulcerationes. prioribus nondum senatis, congruum videbatur, in posterum, acum triquetram cannulatam (*troisquart*) lanceolae praeferre, similique agere ratione atque in abscessibus per congestionem obortis, ut scilicet vulnusculum statim emplastro adhaesivo clauderetur; tali enim ratione vulnus parvum

tantum infligitur, et vis nociva athmosphaerae praecavetur. Haec simul unica via erat, qua puris secretio quantumpote minueretur et viribus parceretur.

Tali ergo ratione die decimo Aprilis aperiebatur abscessus ad brachium sinistrum, statim supra olecranum et die vigesimo sexto ejusdem mensis, alius ad latus externum inferioris dextri femoris partis, prope articulationem genu. Ex his sequebatur, nullas amplius exstitisse exulcerationes, sed materiem quae denuo in horum abscessuum cavis secernebatur, sponte per vulnusculum prodire: illudque demum per longius breviusve tempus, prouti ipsa cavitas claudebatur, vel prius, vel serius, liquore purulento replebatur. En igitur miserum aegrotantem totum quantum fasciis involutum, ita ut nullus ipsi superesset membrorum usus; et nihilominus sua sorte contentus non modo. sed vel hilaris erat; raro, atque tunc quidem propter dolorem occipiti inhaerentem, ipsi deficiebat illa euphoriae perceptio. Dolor iste ipsum nocte praesertim vexabat, somnumque fugabat; peculiaris plane tunc erat faciei aegrotantis expressio: abierat illud animi contenti in vultu indicium; supercilia corrugabantur; oculi ca-

vis suis immergebantur: curvus lecto injacebat, capite ad pectus inclinato, et totus quantus stragulis involutus, dum quaevis allocutio, et inprimis quando respondere coactus erat, ipsi erat molestissima. Illaesae interim erant mentis facultates. Alternatim sinapismi et emplastra vesicantia nuchae adponebantur. Omnia autem sine morbi levamine. Subinde laedebatur digestio, cui malo autem vulgo intra paucos dies, cibo parciore, remediisque amaris resolventibus adhibitis, facile medebamur.

Die undecimo mensis Maji, tempore matutino aegrotantem in mira conditione versantem inveniebamus. Laborabat nempe iterum dolore vehementissimo occipitis, qui pressione non augebatur.

Huic accedebat involuntaria quaedam capitis nutatio, tanquam musculi splenii capitis et trachelomastoidei vicissim contraherentur et relaxarentur.

Singularis hic capitis motus, neque cum arteriarum pulsu, neque cum respirationis motu conveniebat, et una cum capitis dolore cessabat, quem tamen hicce motus non semper comitabatur. Subinde aegrotans diplopia afficiebatur, absque strabismo tamen, vel ulla contractione insolita, vel

dilatatione pupillae. In genere haec symptomata nocte inprimis locum habebant.

Interdum pulsus tunc erat paullo frequentior, et caloris gradus parum auctus, dum tamen varia febris intermittentis stadia observari non poterant. Statim post involuntarios hos capitis motus subortos, organicae cerebri affectionis nobis fuit suspicio, atque haec inprimis erat opinio Chirurgi militaris primi ord. Viri Doctissimi SAS.

Nonnunquam cogitabatur de chronica cerebelli inflammatione, sed non aderat priapismus, nec frequentes penis erectiones, neque alia symptomata, quae hujus organi inflammationem annuntiare solent, neque ulla omnino sanguinis versus hanc partem congestionis signa. Sub tali rerum conditione prognosis fausta esse non poterat, et, licet mors non adeo in propinquo erat, nihilominus certo praesagiebatur, atque spes erat cadaveris aperturae instituendae, quae maximi momenti nobis futura videbatur.

Externa ulcerum cura interim saepius mutabatur: Ung. Praecipitatum rubrum, Acidum Muriaticum cum melle; Alumen vel Chloruretum calcis aqua solutum, aliaque remedia alternatim ad deligationem

adhibebantur, non emendata interim ulcerum conditione, neque ullo vel minimo quidem apparente cicatrisationis molimine. Interim administrabatur oleum jecoris Aselli; hoc autem turbas organorum digestionis movebat, quae tunc remediis amaris erant sedandae. Optime praesertim ab aegrotante sequens ferebatur infusio:

℞ Corticis Cascarillae. unc. I.
inf. c. aq. l. a. ad colat. unc. VIII.
adde:
Tinct. acidae aromat. dr. I.
Syr. cort. Aurant. unc. I.
m. d.
S. omni bihorio cochlearia duo.

Interdum credebamus doloris capitis accessus magis regulares fieri, atque omnia quae memoravi symptomata, febri intermittenti larvatae esse adscribenda. Praescribebatur ideo Chininum sulphuricum durante intermissione sumendum, sed frustra. Pulvis Doveri quoque, vel alia Opii praeparata, nullum auxilium afferebant.

Nec mirum sane, curam in tali casu minus ra-

tionalem, saepiusque omnino empiricam fuisse. Quomodo enim morbi natura, durante vita, cum aliqua certitudine detegenda, et, etiamsi hoc fieri posset, quaenam instituenda cura? Ne igitur symptomatica magis, quam nonnunquam secuti sumus, curationis methodus, male explicetur.

Die undevigesimo Maji mane aegrum visitanti, mihi dixit famulus, cujus curae erat commissus, eum nocte praeterlapsa animi deliquio fuisse affectum, quod per quinque fere horae minuta duraverat, et sudore madidum, cum vehementi arteriarum capitis pulsatione, vultusque ardore sensum recuperasse. Nocte subsequente similis leipothymia locum habebat. Difficillima erat horum symptomatum explicatio. Veri simillimum erat, ea a pressione in cerebrum produci, vel a formatione abscessus frigidi, vel exsudatione quadam in hac, illave cerebri parte. Tendanda igitur erat hujus qualiscunque materiei absorptio: et quodnam huic scopo aptius remedium, quam Arnica montana? Praescribebatur igitur sequens formula:

℞ Flor. Arnicae dr. II.
inf. c. aq. l. a. ad colat. unc. VII.

adde:

Syr. cort. Aur. unc. I.

m. d.

S. omni hora cochlear.

Animi defectus per aliquot dies non observabantur, mox autem irregulariter redibant. Omnibus remediis huc usque incassum adhibitis, et indicatione rationale omnino deficiente, a pharmacorum usu liberabatur aegrotans, et unice commendabatur victus nutriens, quo aeger semper cum delectamento utebatur.

Die quarto Julii aeger inopinate affectionem convulsivam experiebatur, quae magnam cum insultu epileptico alebat convenientiam. Contractiones et relaxationes musculorum, praecipue artuum (spasmos clonicos) patiebatur, quas comitabatur perceptionis et sensationis absentia. Hujus insultus accessus aegrotanti annuntiabatur dolore, qui ab ulcere humeri dextri se ad occiput usque extendebat. Similes insultus experiebatur die 5, 6, 10, 29 Julii, nec non 2, 4, 6, 16 et 25 Augusti. Notatu dignum est, involuntariam capitis nutationem, cujus supra mentionem feci, et dictas

leipothymias, se ab hoc inde tempore, rarius et leviori gradu tantum manifestasse. Pericula quoque facta sunt cum remediis quibusdam antispasmodicis, Valeriana, oxydo Zinci, caet. sed frustra.

Ulcera semper quoque in eadem conditione manebant; vires tamen non ita frangebantur, quod notatu dignissimum et ciborum digestioni in genere non turbatae adscribendum erat.

Tandem tamen morbi complicatio etiam augebatur. Afficiebatur systema respiratorium, unde pessima fiebat morbi prognosis. Post tussin tarde et clanculum quasi subortam, quae inprimis noctu augebatur et adversus quam remedia emollientia, primo tempore, erant adhibita, aeger die undevigesimo Septembris subito querebatur de dolore obtuso, profundo, in parte anteriore dextra thoracis, ad quartam, quintam, et sextam costam, qui respiratione augebatur, aegrumque in hoc latus decumbere cogebat.

Pulsus erat frequentior; sitis aucta; appetitus imminutus; respiratio difficilis; surdus pectoris sonus. Iterata applicatione hirudinum, cucurbitarum cruentarum, cataplasmatum emollientium, quae postea excipiebant emplastra cantharidum, haec symptomata quantumpote sedabantur. Interne ad-

hibebantur potus mucilaginosi, cum extracto Hyoscyami vel aqua Lauro-cerasi. Tussis interim in dies augebatur; per expectorationem serius subortam prodibat materies purulenta, et sudor nocturnus erumpebat. Non nisi raro observabantur convulsiones; vires valde erant labefactatae, aeger tamen nequaquam adhuc ad marasmum usque emaciatus.

Aegri conditio interim in dies, sed tardo gressu, pejor fiebat. Die tandem decimo sexto Novembris, licet nulla mortis instantis adfuissent indicia, subito hora undecima matutina, vitâ extinctus est.

## SECTIO CADAVERIS.

Cadaveris apertura locum habebat die decimo septimo mensis Decembris, tempore matutino, viginti quatuor horas post mortem, pracsente Viro Clarissimo BROERS. Ut omnis liquidorum adfluxus versus caput, post mortem, evitaretur, cadaver statim post obitum in positione hominis sedentis collocatum est, atque tali ratione apertura cranii instituta. Corpus

non valde erat emaciatum; ubivis cernebantur ulcera, de quibus supra egimus. Externa capitis contemplatio nihil notatu dignum obferebat. Tegumenta externa erant sana, et per incisionem circularem a cranio separabantur. Ipsa theca ossea eadem ratione, serrae ope aperiebatur, summâ, propter magnam ossium tenuitatem, observatâ prudentiâ. Patuit illam quibusdam in locis ex unica lamina ossea tenerrima et diaphana constare, atque diploën ibi omnino deficere. Dura mater superficiem hemisphaeriorum investiens, sana erat, ejusque vasa non valde tumida. Etiam pia mater et arachnoïdea hoc loco non morbose erant affectae. Jam exploratione externa superficiei convexae ipsius cerebri, ad latus internum hemisphaerii sinistri, prope sulcum cerebri, detegebatur durities rotundata, atque altera ad latus externum hemisphaerii dextri, paullulum supra locum ubi cranium, supra meatum auditorium externum, serra erat divisum. Cerebrum, quod adhuc in suo conceptaculo continebatur, cultro jam oblique dividebatur, ad centrum semiovale Vieussensii, atque utraque tubercula in eorum diametro perscindebantur. Primum magnitudinis erat nucis avellanae, alterum paullo

minoris. Circumdabantur materie flavescente gelatinosa, qua massa alba et compacta continebatur; ipsam cerebri substantiam e sede sua propulscrant, et perfecte conveniebant cum tuberculis, quae in aliis corporis partibus inveniuntur, in stadio cruditatis. Cerebrum ipsum in hoc loco non magis vasis sanguiferis scatebat, nec vasa in ipsis tuberculis detegebantur. Altera sectione horizontali, alterum cerebri stratum tollebatur, hac quoque ventriculi cerebri laterales aperiebantur, quo facto notabilis liquoris serosi effluebat copia, quae vase excipiebatur.

Utraque cavitas, a magna liquoris contenti copia (circiter sex unciarum medicinalium) valde erat ampliata.

In corporibus striatis et in thalamis nervorum opticorum pauca observabantur vasa, et plexus choroidei parco sanguine erant repleti. Tunc universa cerebri massa e cranio tollebatur. Nervi optici, reliqui nervi, tentorium cerebelli et medulla oblongata perscindebantur. Cerebrum ipsum levi operc ex ejus conceptaculo tollebatur, cerebellum autem difficilius. Infima scilicet hemisphaerii dextri superficies, ita cum dura matre ad basin cranii co-

aluit, ut, ne laederetur ipsa cerebelli substantia, coacti fuerimus simul tollere aliquam hujus membrani partem.

Patebat tunc, hujus adhaesionis causam fuisse tuberculum magnitudinis parvae nucis juglandis, quod pro parte cum dura matre coalitum, in ipsa cerebelli substantia continebatur, ejusque laminas a se invicem diviserat. Huic tuberculo alterum ejusdem magnitudinis incumbebat, totum quantum hemisphaerio sinistro cerebelli inclusum, sed pro parte priori adjacens. Circa haec tubercula materies flavescens gelatinosa melius observabatur, eorumque tamen interna fabrica cum ea ipsius cerebri tuberculorum conveniebat. Sinus non solito magis sanguine erant distenti. In genere substantia cerebri multo magis compacta erat quam in statu sano. Congestionis signa in nullis locis observabantur. Eadem cautela adhibita aperiebatur canalis medullaris, in quo tamen praeter insolitam medullae spinalis duritiem, nihil praeternaturale observabatur.

*Cavitas pectoris.* Pulmones, praesertim pulmo dexter, intime cum pleura costali et diaphragmatis coaluit, ita ut absque ejus dilaceratione, eximi

non possent. Uterque pulmo pro maxima parte in substantiam griseam, hepaticam transierat et tuberculis granulatis erat repletus. Prope bronchias pulmonis dextri excavationes sat notabiles cernebantur.

In cavitate abdominis, neque in organis uropoieticis morbosum quid observabatur.

In iis locis ubi adfuerant abscessus, acu triquetra cannulata hi aperiebantur, et in genere pus prodibat, quod hîc et illic canales sat magnos inter musculos et aponeuroses formaverat, quos, in quibusdam locis, ad periosteum usque persequi potuimus. Periosteum ibi rubescens et incrassatum apparebat, et os ipsum aliquantulum decolor, non tamen carie affectum.

In ossibus longis extremitatum multae lineae elevatae apparebant, quae in osse humeri dextro decursum spiralem habebant et vestigia erant Rhachitidis praegressae.

Licet jam durante vita, ut supra in historia morbi vidimus, organicam cerebri affectionem suspicati fuerimus, cadaveris tamen apertura sola nos de vera hujus affectionis natura certiores reddere, omnibusque conjecturis et hypothesibus finem im-

ponere potuit. Sine illa, hic morbi casus nullius utilitatis observatori fuisset, nequa ulla ratione, ea quae vidit et observavit, explicare potuisset; hac incertitudine sola Anatomia Pathologica liberatus est. Hoc stimulo sit ad cadaverum aperturas, quam fieri potest plurimas instituendas, inprimis in iis casibus, in quibus morbi symptomata, nulla certa ejus indicia praebuerunt; haec praeterea unica via est, quae in multis morbis ad rectam diagnosin ducit.

## CAPUT TERTIUM.

Quamvis pro parte in ipsa cadaveris apertura acquiescentibus, nobis tamen quaedam ad hanc morbi casum pertinentia, supersunt, quae ulteriorem nostram sibi vindicant attentionem, praesertim sequeutia:

1°. scilicet abscessus, qui in morbi initio exstitere, paullo accuratius considerabimus;

2°. in causas, quae ad tubercula formanda contuleriut, ulterius inquiremus;

3°. de symptomatibus agemus, quae durante morbo observavimus;

4°. explicare conabimur, quibusnam causis mors subitanea aegrotantis sit adscribenda, et

5°. ipsam cerebri substantiam accuratius perscrutemur.

## § 1.

### *Abscessuum, qui in morbi initio observati sunt, ulterior consideratio.*

Quando abscessuum doctrinam sequimur, non arduum est, quos in nostro aegrotante in variis corporis locis observavimus, ad certam classem redigere. Nonne videmus eos sine laesione externa, sine inflammatione, dolore, calore, vel rubore notabili exstitisse, mox fluctuationis manifestae signa obtulisse, atque tumores circumscriptos sine puncto suppurationis produxisse; omnes in tela cellulosa subcutanea sedem suam habuisse, atque liquorem quemdam lymphaticum, non verum pus, continuisse; se non sponte aperuisse, sed tandem cultro apertos omnes fere in ulcera pertinacia transiisse. Nonne haec signa sunt, quae abscessus frigidos ab omnibus aliis distinguunt?

Aegrotantis diathesis summo jure horum abscessuum causa haberi potest; eorum sedes erat tela cellulosa, non autem glandulae lymphaticae; nulla enim eos antecebat stasis, obstructio vel durities; fere omnes superficiem externam artuum occupa-

bant, et neque axillarum, neque inguinum, nec glandulae lymphaticae colli tumebant. Etiam mesenterii glandulae in statu sano inveniebantur, quod pro eorum militat opinione, qui scrofulosin et tuberculosin diversos habent morbos. Quomodo hi abscessus tam cito, atque sine symptomatibus magis manifestis, exstiterint, hactenus difficile dictu foret, et nobis acquiescendum in persuasione, materiem purulentam in variis organis formari posse, licet neque aegrotantis examen, neque anatomia ipsa vel minima quidem inflammationis vel congestionis activae vel passivae signa, imo saepius nullam telae mutationem indicaverint. Observata haec puris formatio in uno aegro multo facilius quam in altero suboritur, aeque dificile explicatu, ac tuberculorum aliarumque productionum morbosarum formatio; hinc ANDRAL haud minus diathesin purulentam, quam diathesin tuberculosam assumendam esse credit (1). Abscessuum post magnas operationes formatio, quae in partibus corporis remotis adeo frequens occurrit, huc non pertinet, quando-

(1) G. ANDRAL, Précis d'Anatomie pathologique. Paris 1829. Tom. I. p. 405.

quidem hi vulgo hodie a puris absorptione produci existimantur.

## § 2.

### *Causarum, quae tuberculis producendis ansam dedere, consideratio.*

Primo hîc ad aegrotantis diathesin est attendendum. Andral sequentem de ejus vi in morbum tuberculosum producendum fert opinionem: »L'observation a démontré que les tubercules naissent surtout chez les individus dont la peau est très-blanche, comme étiolée, sans aucune trace de matière colorante dans son réseau capillaire, et dont les pommettes présentent une teinte rouge plaquée, qui contraste d'une manière remarquable avec le blanc terne de la peau du reste des joues. La matière colorante, dont est dépourvue la peau de ces individus, manque aussi dans leurs yeux, qui conservent la teinte bleue de l'enfance: dans leur système pileux, qui est d'un blanc pâle, et qui est en même temps peu abondant. Chez eux les muscles sont grêles, mous et développent peu de force

contractile; le sang est séreux, pauvre en fibrine et en matière colorante; les sécrétions muqueuses prédominent. Chez eux, enfin, des congestions sanguines s'effectuent avec une remarquable facilité sur divers points de la peau et des membranes muqueuses; une fois produites, ces congestions ne finissent plus; elles persistent à l'état chronique, et sont fréquemment suivies d'ulcérations, de desorganisations diverses, qui ne se guérissent qu'avec la plus grande difficulté, et souvent par des moyens opposés à ceux qu'on appelle antiphlogistiques (1)." Secundo huc sine dubio quoque contulit ejus ex *Gelria* sicca in humidam Hollandiam migratio; quantopere scilicet frigus et humiditas tuberculorum evolutioni favent, atque soli in temperamentis phlegmaticis ei sufficiant, omnibus notum est. Observatum est homines natos in regione, in qua propter situm elevatum et athmosphaeram siccam, raro tuberculis laborantes visi erant, saepe postquam, per aliquod tempus, in regionibus frigidis et humidis degissent, hoc morbo fuisse affectos, atque tempestivum ad terram natalem reditum uni-

---

(1) l. c. p. 434.

eum esse remedium, quo emendetur diathesis, producaturque vita. Cum hisce conveniunt eorum Medicorum observationes, qui animalia carceribus inclusa omnibus tuberculorum symptomatibus laborare viderunt, eaque tunc demum sanitatem recuperantia observarunt, quando ad solitum vivendi genus redirent. Tertio fortasse aliquid tribuendum mutato vitae generi, postquam ex rustico factus fuisset miles. Haec omnia autem symptomata remota habere possumus. Causarum proximarum secundum BROUSSAISII et CRUVEILHIERII opinionem in inflammatione esse quaerendam, nostra non fert opinio, idque eo minus quum, nec durante vita, nec post mortem symptomata observata sunt, quae in inflammatione observari solent. Potius igitur eorum medicorum amplectimur opinionem, qui tubercula per mutatam secretionem perspiratoriam produci credant (1).

---

(1) l. c. p. 414.

## § 3.

### *De symptomatibus quae durante morbo observavimus.*

Notatu dignum est tubercula in nostro aegrotante nullam continuam sensuum, motuum voluntariorum, vel mentis facultatum produxisse laesionem, idque eo magis si eorum magnitudinem, et magnam liquoris, qui in cerebri ventriculis continebatur, copiam consideramus. In aliis contra morbi casibus, in apoplexia, e. g. videmus perparvam sanguinis effusi quantitatem, omnes functiones animales suspendere et in laesionibus capitis, parvum frustulum ossis vel alias causas, quae pressionem in cerebrum exercent, symptomata saepe valde periculosa producere. Haec, quod ad nostrum aegrotantem, explicari possent, ex tarde et gradatim se evolventibus tuberculis, quorum praesentiae cerebrum, ut ita dicam, adsuefactum erat, nec non statui sano reliquae cerebri substantiae. Arduum est symptomata alternantia, ut insultus epilepticos, leipothymias, motus capitis involuntarios, diplopiam caet. explicare. Hoc enim vetat parva variarum cerebri partium functionum,

qua gaudemus, cognitione. An licet suspicari seri in cerebri ventriculis copiam, uno tempore altero fuisse majorem, vel subitam quamdam sanguinis versus caput congestionem haec produxisse symptomata? An tali sanguinis congestioni et, quae hujus sequela est, pressioni cuidam vel irritationi quarundam cerebri partium, catalepsia, epilepsia, similesque alii morbi, forent adscribendi, in illis aegrotantibus, in quibus, post mortem, cerebrum sanum inventum est; vel nonne potius semper fere, in ejusmodi casibus, organica existerent vitia, nobis tamen, propter nostram structurae cerebri parvam cognitionem, non detegenda?

## § 4.

### *Causarum, quibus subitanea mors aegrotantis adscribenda sit, explicatio.*

Magnae seri in cerebri ventriculis copiae mors subitanea aegrotantis tribuenda videtur. Satis cognitum est membranas serosas in quibusdam casibus, magnam copiam humoris, brevi tempore, exhalare posse; hoc apparet ex mox post operationes resti-

tutum humorem aequeum in cameris oculi, a membrana adeo tenera productum, uti etiam ex hydrope variarum corporis partium. Si tubercula igitur ut corpora aliena consideramus, quae tandem, per diuturnam eorum in cerebri cavo moram, partes vicinas irritant atque igitur membranae arachnoideae auctam provocant exhalationem, haec aucta humoris copia mira nobis videri nequit. In omnibus fere aegrotantibus, in quibus post mortem tubercula in cerebro inventa sunt, durante vita hydropis cerebri symptomata et, post mortem, serum in ventriculis collectum observarunt. Hanc ob causam GIRAUD (1) tubercula in cerebro, causam habet frequentium effusionum serosarum in ejus cavitatibus. Quandiu haecce humoris copia certos non excedat limites, ejus praesentiam fert oeconomia; si autem magis magisque augetur, tandem cerebri actionem omnino impedit: cerebri vis in respirationem et circulationem, ab antiquis jure functiones vitales vocatas, cessat, brevissimumque tempus sufficit, ut vita extinguatur. Licet morbus pulmonum magnum attigerit gradum, mors tamen nimis

(1) Vide supra.

subitanea erat, atque moriendi ratio a morte, quae pulmonum morbo inducitur, nimis diversa, quam ut de hâc nobis sit cogitandum.

## § 5.

### *Accuratior substantiae cerebri perscrutatio.*

Cerebri durities mirifice differebat a laxitate et mollitie reliquarum corporis partium. Substantia cerebri quasi compacta erat, et fortasse hoc revera locum habebat. Partes, quae conceptaculo cerebri continentur, illud fere occupant et parvum, quod superest, spatium, liquore cephalo-spinali repletur, ita quidem ut parva humoris effusi copia, imo affluxus major sanguinis, magnas turbas movere valeant. In nostro aegrotante tubercula et magna copia seri notabilem in conceptaculo cerebri occupabant locum. His cerebri substantia comprimebatur, atque huic pressioni, verosimiliter, ejus durities major adscribenda erat.

Tenuitas quoque ossium cranii exinde explicare valet. Docet nempe experientia pressione minui nutritionem, atque jacturas nimiae absorptioni adscribendas, non facile restitui.

---

Vidimus igitur ex hoc casu, tubercula, quae viscere continentur, quod thecam suam, ut ita dicam, accurate implet, atque igitur resistentiam sat notabilem, ut evolventur, superare debent, nihilominus tamen magnitudine augeri. Si nunc tubercula, (quod in transitu monere liceat,) in tenera pulmonum compagine consideremus, nec non pectoris cavi, quod tam facile dilatatur, compositionem, RAMADGII Theoria, ut, scilicet, altis inspirationibus, pressione aeris athmosphaerici, ulterior tuberculorum in pulmonibus impediretur evolutio, quamquam ingeniose excogitata, difficilis tamen explicatu apparet; atque haecce curandi methodus mihi videtur, non adeo evolutionem tuberculorum pressione impedire, quam quidem, sanis pulmonum partibus, altis inspirationibus magis distentis, majorem aëris athmosphaerici copiam adducere.

Sanguis igitur majori oxigenii quantitate scatens, cordi adducitur, atque, per totum corpus dispersus, nutritionem, ideoque universam corporis diathesin emendat. Omne enim quod nutritioni prodest, in hoc morbo commendatur, inprimis diaeta nutriens, ex regno animali petita.

# THESES.

I.

Morborum cordis difficillima diagnosis, etiamsi vel mediata vel immediata adhibeatur auscultatio.

II.

Diuretica in Hydrope saepenumero magis nocent, quam prosunt.

III.

Usus Tartari Emetici in Peripneumonia acuta admodum commendandus.

IV.

Hydrops post Febrem intermittentem, magis hujus sequelis, quam Sulphatis Chinini usui adscribendus est.

V.

In omnibus terrae regionibus, in eodem morbo, eadem est indicatio medica.

VI.

In affectionibus syphiliticis primariis, topicis, usus Mercurii internus plus nocet quam prodest.

VII.

Amenorrhoeam saepius sequelam, quam causam morbi esse contendimus.

VIII.

Recte GAUBIUS: quo quis diutius in arte cum cura »elaboraverit, eo circumspectius de morborum na»tura pronuntiare solet."

IX.

Recte STOLLIUS, ubi agit de Scarlatina: »*Hydrops* »*acutus venae sectionibus solvitur.*" Aphorism.

X.

Recte monet BARRY, aeris athmosphaerici pressionem circulationis sanguinis venosi causam esse praecipuam.

XI.

Quo majoris in Oeconomia humana momenti sit aliqua corporis pars, eo minus, sine sanitatis laesione, structurâ vel formâ ludere observatur.

XII.

Methodum BELLOCCII ad epistaxin graviorem sistendam, omnibus aliis praeferendam esse statuo.

XIII.

Ligatura arteriae cruralis in aneurismate popliteo, in parte tertia superiore femoris instituenda est.

## XIV.

Fascia quae tolli nequit (l'appareil inamovible) in fracturis complicatis, non est praeferenda.

## XV.

Episioraphia uteri prolapsus unicum remedium radicale habenda est.

## XVI.

Partus artificialis praematurus, etiam in primipara, interdum est provocandus.

## XVII.

Recte BAGLIVIUS: »*in puerperis, tamquam pestis,* »*fugienda sunt purgantia.*"